

Illa, quam dolor edere cogit,
 Voce, malum compellans sponsum,
 Veteris desertorem thalami,
 Læsa Themis Jove natam implorat,
 Arbitram jurisjurandi
 Quæ illexit miseram ad solum Achiuum,
 Per mare sævum, Scythiæ adversum,
 Per ponti immensi spumantes
 Cano sale fauces angustas.
 Egressa tecto sum, Corinthiæ nurus, Med.
 De me querendi ne sit ulli occasio.
 Plerosq; novi, quod seorsum degerent,
 Habitos superbos : hos frequens præsentia
 Fecit molestos : alius ingressus viam
 Vitæ quietæ, ignaviæ subit notam ;
 Quia judicandi certa veritas abest
 Oculis ab hominum, qui priusquã pectoris
 Norint recessus intimos, visos modo
 Odere, nullis provocati injuriis.
 Ergo urbis hospes moribus se accommodet.
 Nec laudo civem, contumax qui civibus,
 Aspérq; agresti degit insolentia. [malum,
 At enim inopinum hoc quod mihi evenit
 Vitam abstulit vivæ, pereo, vitæ exui
 Jamdudum amoré, amore mortis percita,
 In quo reposita cuncta habebam, pessimus
 Plane virorum me reliquit vir meus.

B 4

Nihil